Leistungskurs Bayern 1995

Ursprung wahrer Freundschaft

(Cic., Lael. 26-29 carptim)

Saepissime mihi de amicitia cogitanti maxime illud considerandum videri solet, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia an esset antiquior et pulchrior et magis a natura ipsa profecta alia causa; amor enim, ex quo amicitia nominata est, princeps (1) est ad benevolentiam coniungendam. Nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur saepe, qui simulatione amicitiae coluntur et observantur temporis causa. In amicitia autem nihil fictum est, nihil simulatum, et, quidquid est, id est verum et voluntarium.

Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia, applicatione magis animi cum quodam sensu amandi quam cogitatione, quantum utilitatis illa res esset habitura. Quod etiam in bestiis quibusdam animadverti potest, quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus et ab eis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes, deinde, cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur.

Nihil est enim virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat ad diligendum, quippe cum propter virtutem et probitatem etiam eos, quos numquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis est, qui C. Fabrici, M'. Curi (2) non cum caritate aliqua benevola memoriam usurpet, quos numquam viderit?

Quodsi tanta vis probitatis est, ut eam in eis, quos numquam vidimus, diligamus, quid mirum est, si animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum usu coniuncti esse possunt, virtutem et bonitatem perspicere videantur? *(246 Wörter)*

---

(1) princeps — hier: erster Anstoß

(2) C. Fabricius Luscinus, M'. Curius Dentatus — berühmte römische Staatsmänner und Heerführer